

Hermannschronik
(MGH SS 5, S. 131.37–133.43)

Wien Hs. 3399, Fol. 106^v–109^v
Muri-Sarnen Hs. 10, Fol. 96^r–97^r

*dicens, IIII Kalend. Novembr. feliciter
– o utinam! – decessit.*

Hazilinus etiam, Babinbergensis episcopus infamis, moriens locum dedit.

Per idem tempus Counradus dudum dux, ab Andrea rege Ungariorum gratanter susceptus, ei, ne allegatum cum imperatore foedus perficeret, dissuasit, et auxilio eius quendam Carentani partem, quorundam etiam primatum, qui eam possidebant, machinatione aliis expulsis primoribus, invasam cepit.

Imperator vero in Baioariam veniens, ducatum eiusdem provinciae filio suo aequivoco tradidit.

MLIII. Sicque in eadem commorans provincia, natalem Domini in villa Otinga egit, ibique Babinbergensis ecclesiae praesulatum consobrinus suo Adalberoni donavit. Deinde habito Ratisponae colloquio, per Alamanniam transiens, et furibus infestus, nonnulla eorum conventicula exuri iubens, Turegi quadragesimam inchoavit, et per ripales Rheni urbes paulatim descendens, Mogontiae paschale festum celebravit. Ubi Theodpaldus, filius Odonis, ad eum de Galiis veniens et miles eius effectus, auxilium suum illi pollicitus est.

Hacilinus Pabinbergensis episcopus infamis moriens locum dedit.

Imperator vero in Baioariam veniens, ducatum eiusdem provinciae filio suo aequivoco tradidit.

Sicque in eadem commorans provincia natalem Domini in villa Otinga egit. Ibique Pabinbergensem episcopatum Adalberoni consobrinus suo donavit et sic per Alemanniam transiens, Turegi quadragesimam inchoavit, Mogontiae autem pascha celebravit. Ubi Theodpaldus, Odonis filius, ad eum de Galiis adveniens, miles eius efficitur.